



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VII. Heluetij post primas Catholicorum victorias in pace viuunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

dem pacem à Catholicis impetrarunt. Pleraque enim per Germaniam ciuitates agrè serebant, bellicosam hanc nationem mutuis cladibus sic asteri, ac suis viribus ad intestinam perniciem armari. O plusquam belluinam hominum crudelitatem. Quis umquam audiuit, lupum à lupo, aut leonem à leone, quantumuis extrema fame agitatis, deuoratum? At solus homo hominem occidere nihil pensis habet.

Tantum religio potuit suadere malorum
Diuersa. Et sessum studia in contraria vulgus.

O aureum illud sæculum! quo non dico hominem, sed innoxium quodcumque anima occidere piculare habebatur. Ferreum vero nostrum hoc merito dici potest, quo homines tamquam Eumeidum seu Furiarum ministri, nihil aliud quam aliorum perniciem quærunt & moluntur. Postquam ergo tantum Christiani sanguinis effutum fuit, tandem pax inter utriusque religionis pagos facta est, hac conditione, quam nos è Gallicis verbis sic Latine expressimus: Nos Tigurini & Bernates, debemus velle & volumus ut fideles nostri confederati quinque pagorum, & ipsorum ciues, unà cum Valensibus & omnibus ipsorum socijs & adherentibus, tam Ecclesiasticis quam laicis, in ipsorum ciuitatibus, territorijs, prefecturis & dominijs, pace fruantur; idque sine ulla reprehensione, disputatione aut quacumque alia maligna adiunctione, exceptione, & circumuentione, exclusa omni fraude. Similiter nos Quinque pagi volumus, ut Tigurini & Bernates ipsorumque adherentes, in pace uiuant, neque etiam ob eam quam sequuntur religionem ullis molestia aut turbatio inferatur. Porro inter pacis huius conditiones & illa fuit, ut utriusque, Catholici scilicet e. m. Ferdinando rege, & Zuingliani e. m. Lang. auro & Argentinensibus factum fedus rescindant.

VII. Secundum hæc Heluetiæ populi pacem inter se sanctè coluerunt Zuingliani tanta cladum frequentia & magnitudine attonitis. Porro Helvetiorum pagi dicti: Lucernates, Viiij, Surtij, Vnternaldij, Glaronenses, Tugiani, Friburgenses, Soloduri, Abbecellenenses in Catholicæ Ecclesiæ obedientia constanter permanserunt: quamuis duo posteriores ex his pagi utramque tolerent religionem. At alij præter hos pagi nimirum Tigurini, Basileenses, Bernates, Schafusiani, Zuinglij opinionem pertinacissime hætenus defenderunt, quamquam non nihil iam ad Calvinisimum defluxerint. Antea enim Heluetica Confessio seu religio a Geneuensi, & quantum ad ipsam fidem, & quantum ad ceremonias seu sacrorum ritus, ali-

quantulum discrepabat: verum intra proximos retro viginti annos aliqua concordia ratio fuit interita. Hodieque tamen disciplina Ecclesiastica non tam strictè apud Heluetios quam Geneuenses obseruatur. Heluetij etiam in Cæna sua hostijs Catholicorum more paratis, Geneuenses vero ea panis formam modoque parata qua in mensa indies communi seu vulgari plebs utitur. Altaria etiam illi saxea habent & Basileæ quidem marmoreum hodieque integrum visitur, quod olim in Ecclesia Cathedrali diuino officio inseruiit. Cumque cæna apud Heluetios tribus celebratur, duo Prædicantes, sicut enim Ministros appellant) ad altare consistunt, quorum vnus panem, alter vinum communicantibus porrigit. At in vicis & villis, Prædicans panem, laicus vero seu rusticorum vnus vinum dat. Apud Heluetios in sepultura defunctorum funebribus haberi solet oratio: Geneuæ nequaquam Basileæ quidem, Schafusis & alibi multa Epitaphia & alia funebria ornamenta adhuc existant; non vero Tiguri aut Bernæ, Basileæ Erasmi Epitaphium in Cathedrali Ecclesia, Oecolampadij vero in cæmeterio videtur. Geneuæ mortuis nihil, præter terram, datur. Quin idololatricam esse, aiunt, honores illos qui defunctis habentur. Existimant quippe, satis esse cælum pro vna habere. Basileenses quidem & Schafusij post Oecolampadij mortem diu Lutheranam religionem sequuti sunt, à Sulcero quodam Lutherano Prædicante persuasi; quo defuncto, Grynæus filius (de quo in B. za Leonibus exiit elogium, filius) primum à Lutheri, deinde à Zuinglij opinionibus paulatim eos ad Calvinisimum abduxit, mitto astu ad hoc vnus. Primo enim Lutheranum se simulabat; postea vero amicis quos plurimos singulari morum tam grauitate quam comitate sibi comparauerat, confusus, Geneuensem Confessionem populo aperte laudauit utque eam amplecterentur auctor fuit: quamuis Lutheranismi etiam noui fauilla quædam veluti sub cineribus utrobique lateant. Ita religio pro hominum arbitrio tota gubernatur apud eos, qui nihil nisi diuino verbo expressum in Religione colorandum susceperunt, quidlibet enim sub verbo diuino ingenium humanum inuenire potest, si à Regula Ecclesiæ distantis veritatem recedit.

VIII. Eadem discordia ab Heluetijs ad Rhætos finitimos, quos Grisones vulgo vocant, propagata est: qui & ipsi, Heluetiorum exemplo, legitimi domini, Episcopi nempe Curienfis imperio sese

sub-